



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XCII. Ioannis Papae VIII. Ad Eamdem. Arelatem se venisse significat, ibique omnia prospera reperisse. hortatur vt Romanae ecclesiae commodis prospiciat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA XCII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EAMDEM.

Arelatem se venisse significat, ibique omnia prospera
reperisse. hortatur vt Romanæ ecclesiæ
commodis prospiciat.

*Dilectissimæ filiæ domnæ Angelbergæ imperatrici piæ memoriæ
domni Ludouici inuictissimi imperatoris
coniugi serenissimæ Augustæ.*

CVM erga Romanæ ecclesiæ priuilegia immenso velle,
impenso & opere decus imperii vestri decertare, &
ad perfectum ducere semper * adhaurimus & amemus,
Christo fauente, perpetuo magnitudinem tantæ vestræ de-
uotionis scire cupimus: Ecce Arelatem regni deliciarum
vestrarum sani intrauimus, summo arbitro permittente,
per intercessionem apostolorum principum. illicque Bo-
sonem principem generum vestrum, communem & filiam
domnam Hermengardam alloquentes, omnia prospera
& iugiter desiderata inuenimus, & pro amore vestro, ve-
stri nuper & piissimi coniugis, illos tamquam filios ample-
ctentes, pro eorum consulto, illorum cum honore cuncta
faciemus: quoniam ceu per vos, haud secus per istos con-
solationem & defensionem sanctæ Romanæ ecclesiæ qua-
rimus, eosdemque permissu Dei ad maiores excelsiores-
que gradus modis omnibus, saluo nostro honore, promo-
uere nihilo minus desideramus. Quapropter monentes
hortamur vt tanto labori faueatis, eiusque perfectionem,
prisco vestro consilio perfuentes, certis literis per singula
nobis, & illis sine mora intimare minime differatis. Cete-
rum rogamus, vt Ioanni archiepiscopo Rauennati mitta-
tis epistolas ex nostra parte consolatorias, incitantes vt pro
nobis orationes faciat, & contra Dei inimicos se præpara-
re nequaquam formidet, & nostris fidelibus Romæ lega-
tos consolando transmittat: & vos, si fas est, aut mihi apud
vos est impetrandi facultas, Leoni episcopo misso & apo-
crifiario nostro, & Petro, super ista, ceterisque fidelibus li-
teras vestras mittite confortantes ipsos vt scitis & vultis.

Concil. Tom. 24.

Q ij

* for. ama-
uerimus,
aut anhe-
laueri-
mus.

Hermen-
gardæ, siue
Hermingar-
dis filiæ Lu-
douici II.
imperatoris
meminit
Regino li-
bro 2.
chron. Ai-
monius l. 5.
cap. 32.